

alias omnes libertates per nos eisdem dominis Prelatis et Baronibus, ceterisque Nobilibus huius Regni nostri concessas firmiter, inconcusse et inuiolabiliter nos obseruatuos, et tam per eundem Illustrissimum filium nostrum Dominum Lodouicum Ducem, quam etiam dominos Prelatos et Barones, omnesque Regnicolas similiter firmiter, inconcusse et inuiolabiliter facere obseruari, Provt iidem domini Prelati et Barones, ceterique Regnicole nostri sese, ac eorundem heredes ac successores vniuersos obseruatuos nostre Maiestatis in conspectu promiserunt. Promittimus preterea, quod nos eundem Illustrissimum filium nostrum, vt premissum est, nec in vita, nec in morte nostra prenominato Domino Regi Romanorum, sed neque cuicunque alteri Principi forensi ad educandum vel tenendum seu gubernandum dabimus, sed eundem apud manus dominorum Prelatorum ac Baronum et Procerum atque Nobilium, et in hoc Regno Hungarie dimittemus et reliquemus, et de eodem nullo pacto educere aut educi facere volumus seu procurabimus. Assecuramus insuper eosdem dominos Prelatos et Barones ac ceteros Regnicolas nostros, vt dum prefatus Illustrissimus Dominus Dux filius noster ad adultam et maturam etatem peruenerit, idem premissa Decreta et libertates conseruaturum similiter in verbo suo Regio promittere teneatur. Nec interim Regia auctoritas sibi concessa existat, donec premissa omnia se obseruare velle promittat. Ad que obseruanda eundem Dominum Principem Lodouicum filium nostrum, successoresque et heredes nostros omnes obligatos esse volumus. In quorum omnium fidem et testimonium presentes litteras nostras pendenti sigillo nostro communitas eisdem vniuersis Dominis et Regnicolis nostris duximus concedendas. Datum Bude quintodecimo die Diete seu generalis Congregationis prenotate. Anno Domini Millesimo quingentesimo octauo, Regnorum nostrorum Hungarie &c. Anno decimo octauo, Bohemie vero tricesimo octauo. Reuerendissimis ac Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Thoma tituli Sancti Martini in Montibus Sacrosancte Romane Ecclesie Presbytero Cardinale Strigoniensi ac Patriarcha Constantinopolitano, summoque aule nostre Cancellario &c., Hypolitho Estensi de Arragonia tituli S. Lucie in Silia Diacono Agriensi, Petro titulo S. Ciriaci in thermis Presbytero Vesprimiensi Sacre Romane Ecclesie Cardinalibus, Gregorio de Frangepanibus Colocensis et Bachiensis Ecclesiarum Canonice vnitarum Archiepiscopo, Luca Zagradiensi, Francisco de Peren electo Transilvaniensi, Sigismundo Thurzo Waradiensi, Georgio Quinqueecclesiensi, Secretario Cancellario nostro, Francisco Jaurinensi, Johanne electo Vaciensi, Nicolao de Chaak Chanadiensi, Stephano Nitriensi, Personalis Presencie nostre Locumtenente, Joanne Orszagh de Gwth electo Syrmiensi, Michaelae electo et confirmato Bosnensi, Brictio electo et confirmato Tinniniensi, Ferdinando de Frangepanibus electo et confirmato Modrusiensi, Jacobo Segniensis Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item Spectabilibus et Magnificis Emerico de Peren perpetuo Comite Abaujuariensi ac Regni nostri Hungarie Palatino ac Iudice Cumanorum nostrorum, Johanne de Zapolya perpetuo Comite terre Scepusiensis, Petro Comite de Bozyn et de S. Georgio Iudice Curie et Wajuoda nostro Transylvaniensi et Comite Siculorum nostrorum, Laurencio Duce de Wylak, Johanne Beriszlo Regni nostri Rascie Despoto, Georgio de Kanisa et Johanne Ernusth de Chaktornya Regnorum nostrorum Croacie, Dalmacie et Sclauonie Banis, Josa de Som Comite Temesiensi et Generali Capitaneo parcium Regni nostri inferiorum, Blasio de Raska Thauernicorum,